



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1644. usque ad annum 1651

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1779

VD18 90119177

§. 2. Facultatis Theologicæ responsum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67359](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67359)

Sæc. XVII.

A. C. 1644.

§. II.

*Facultatis Theologicæ responsum.**Habert de-
fens. de la
Foi de
l'Eglis.*

Accepta hac Regis epistola Sacra Theologiae Facultas die prima & decima quinta Januarii Comitata in Aula Sorbonica habuit, ac consultatione facta circa Urbani VIII. Bullam hanc integram acceptari haud posse censuit, eamque ad acta referri distulit: „quia in „hoc diplomate prohibitio innovatur, „qua Pius V. de rebus in sua Bulla „contentis ac reprobatis, *posthac quoquo „modo loquendi, scribendi & disputandi „facultatem quibuscunque interdiximus, in- „quit . . . Præterea Urbanus VIII. „cum Paulo Papa V. vetat, ne quis „in materia de auxiliis divinæ gratiæ „etiam sub prætextu commentandi san- „ctum Thomam, ullam scriptionem in „lucem edat, nisi ad tribunal Romanæ „inquisitionis perlata sit, ibique appro- „bata. Denique Urbanus VIII. sub pœ- „na excommunicationis interdicit: *Ne „quis cujuscunque conditionis, & qualita- „tis sit . . . de prædictis, ut supra dam- „natis, & in prædicto libro Jansenii con- „tentis, aliisque ut infra sub insertis ar- „ticultis, opinionibus, sententiis, libel- „lis, orationibus, scripturis, epistolis, „thesibus quoquo pacto loqui, scribere* „&*

„& disputare audeat At Sacra Sæc. XVII.
 „Facultas Parisiensis de omnibus par- A. C. 1644.
 „tibus sacræ doctrinæ a Magistro Sen-
 „tentiæ traditæ, atque adeo etiam
 „de auxiliis divinæ gratiæ disputandi,
 „& scribendi licentiam semper habuit.

Igitur Facultas quosdam deputabat
 Magistros, qui Cardinali Grimaldo
 Nuntio Apostolico præfatas causas ex-
 ponerent, simulque sequens Facultatis
 responsum traderent: Cum allata fuisset hæc Bulla *in eminenti* ad Sacram
 „Theologiæ Facultatem a Reverendis-
 „simo Abbate Lutumerio ex parte Eminentissimi Cardinalis Grimaldi, consensu etiam ac jussu Regis interveniente: ea lecta & matura deliberatione habita, censuit Facultas: Quoad
 „doctrinam plene recipiendam esse summam cum veneratione, & prohibendum
 „esse omnibus, ac singulis Doctoribus,
 „& Baccalaureis, ne ullam ex propositionibus in ea Bulla notatis, ac prohibitis sustinere, ac defendere audeant. Quoad alias vero difficultates
 „Bullæ, procrastinandum esse, donec mens summi Pontificis quoad prohibitionem disputationum de gratia, & quoad censuras plenius intelligatur.
 „Adierunt itaque plurimi Doctores Eminentissimum Cardinalem Nuntium, eumque de iis difficultatibus prohibi-

Sæc. XVII. „tionum ac censurarum consuluerunt,
A. C. 1644. „qui respondit ipsis, eas intelligi quo-
 „ad propositiones damnatas tantum mi-
 „nime docendas ac sustinendas. Ita ab
 „eo acceperunt D. Charlon Pœnitentiarius
 „Ecclesiæ Parisiensis. D. Halle-
 „rius Reginus Professor Theologiæ, D.
 „Habert Canonicus ac Theologus Ec-
 „clesiæ Parisiensis, & Duval Reginus
 „Professor Theologiæ, & complures a-
 „lii. Quod inculcare volumus, ne quid
 „scrupuli veram ac salubrem de gratia
 „Theologiæ antiquæ doctrinam profi-
 „tentibus, ac docentibus emergeret,
 „aut hæreret.,,

Eapropter Facultas cunctis prima
 Doctoratus laurea donandis inhibuit,
 ne propositiones a Pio V. Gregorio XIII.
 & Urbano VIII. Pontificibus damnatas
 propugnarent. Antonii tamen Arnaldi
 Sorbonæ Doctoris prima apologia pro
 Jansenio contra Habertum publicis ty-
 pis prodiit, quam mox idem Habertus
 confutavit, numerum vero hæresum,
 quarum quadraginta in Jansenii libro
 detexisse asseruerat, nunc ad duode-
 cim restrinxit, nec tamen præpedire
 valuit, quo minus Arnaldus adhuc
 duas alias ejusmodi Apologias vul-
 garat.

§. III.